Quelle:
Copyright:



62. Cod. XXXIV.

Plutarchi Chronensis vita parallela Vitor. illustr.

Cod. XXXIV. 1.
Membran. Fol. min. saec. 11. 3. 10.

Exhibet opus Plutarchi Chronensis pulcherrimum, nempe vitas quas vocat parallelas, graeco idiomate exaratas, in quibus viros virtute, rebus gestis, doctrina vel etiam fortuno ludibrio illustres graecos cum totidem Romanis contulit, et utrorumque mores ac fata descripsit tanta industria, ut viro presertim in Rep. versanti vel etiam duci exercitus nihil possit esse lectione utilius, nihil amoenius quoque propter incredibilem rerum varietatem, copiam exemplorum, judicium denique ac probitatem scriptoris. Vitae, quae in codice nostro habentur, parallelae, sunt sequentes:

Lycurgi	et	Numae pompilij
Solonis	=	Poblicolae Valerii
Aristidis	=	Catonis majoris.
Themistoclis	=	Camilli.
Cimonis	=	Luculli.
Periclidis	=	Fabii Maximi.
Nicia Athen.	=	M. Crassi Triumv.
Agesilai	=	C. Pompeji Triumv.

Vitae reliquorum parallelae, quae exstant T. I. Opp. Plut. Chiron. graec. et lat. Francof. 1620. Fol., in codice nostro desiderantur. Plura de Plutarcho dabit Fabric. Bibl. graec. lib. V. c. II. pag 229.

Aetatem codicis nostri quod concernit, illum inter antiquiores nostrum referendum esse puto, ea potissimum de causa, quod lineae non plumbo, vel colore, sed nudo sunt stilo seu grypho ductae.